

Ex ore quamlibet patris
 Sis ortus, et verbo editus,
 Tamen paterno in pectore
 Sophia calebas prius.
 Quae prompta coelum condidit,
 Coelum, diemque, et caetera,
 Virtute verbi effecta sunt
 Haec cuncta: nam verbum Deus.
 Sed ordinatis seculis,
 Rerumque digesto statu,
 Fundator ipse et artifex
 Permansit in patris sinu.
 Donec rotata annalium
 Transvolverentur millia,
 Atque ipse peccantem diu
 Dignatus orbem viseret.
 Nam caeca vis mortalium
 Venerans inanes naenias,
 Vel aera, vel saxa algida,
 Vel ligna credebat deum.
 Haec dum sequuntur, perfidi
 Praedonis in jus venerant,
 Et mancipatam sumido
 Vitam barathro immerserant.
 Stragem sed istam non tulit
 Christus cadentum gentium
 Impune, ne forsan sui
 Patris periret fabrica.
 Mortale corpus induit,
 Ut excitato corpore
 Mortis catenam frangeret,
 Hominemque portaret patri.
 Hic ille natalis dies,
 Quo te creator arduus